

PETRVS CANISIUS IESVITA.



Petrus Nouiomagi apud Belgas natus & educatus est, anno circiter 1524. Hic cum fœlici ingenio esset præditus, operam literis dedit, atq; in primis Theologico studio incubuit. Id ut communis præstaret, lesuitarum collegiū ingressus, eum ordinem suscepit. Ordo ille omnium aliorum ultimus fuit, atq; ante paucos annos inchoatus, nūc ubique per Europam sese plurimū diffudit. Primus author erat Ignatius Loyola Cantaber baro, qui cum pro Cæsare contra Gallum pugnaret, & grauiter pede uulneratus esset, militiam reliquit, & solitariam uitam sequi statuit, Anno circiter 1535. Postea quoq; Lutetiæ operam literis dedit, & Hierosolymis sepulchrum Domini inuisit. statuit etiam omnem uitam peregrinando & prædicando consumere. Cum autem deinde Romanam petre statuisse, Venetijs substitit, & suæ professionis socios acquisiuit. Erat tum Moronus Cardinalis, qui id genus uitæ in quibusdam approbauit, atq; apud Paulum Pontificem intercessit, ut eum ordinem sua authoritate confirmaret. Id quod pontifex fecit, atq; eius Ignatium præpositum constituit, ea tamen legi, ne ultra sexaginta huic ordini se astringerent. Factum est id anno salutis humanæ 1540.